



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 4. Vtrum in Christo fuerit Spes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

hoc non implicet contradictionem; tamen non est naturę consentaneum: debuisset enim illa anima simul habere omnes actus illarum virtutum in summa intensiōe, & secundum totam extensionem & materiam cuiusque virtutis, idque in omnibus simul potentijs, Intellectu quidem, considerando & aestimando omnes virtutū materias: Voluntate, & Appetitu inferiore, distinctis actibus omnem honesti materiam pro sua conditione amplectendo: quod sine ingenti miraculo, minime necessario, fieri non potuisset. Adde, nobilius esse incipere à perfecto modo operandi, qui est ex habitu; quam procedendo ab imperfecto, habitum comparare. Quare dicendum est, Christum illas virtutes quodammodo habuisse à seipso, quia habuit eas ex efficacia suę personę, qua contulit eas animę suę tamquam debitas ob intrinsecam vnionem cum personā. Contulit autem eas in summā perfectione, quę erat possibilis secundum potentiam ordinariam, & consentanea dignitati illius diuinę vnionis: ac proinde etiam quanta esse poterat iuxta capacitatem naturalem humanę animę. Potentię enim naturales in homine habent terminatam efficaciam agendi; vnde datur aliqua intensio actuum naturalium, vltra quam, vis naturę non potest. Vnde etiam fit vt hę virtutes in Christo successu temporis non sint auctę: tum, quia capacitas animę fuit expleta; tum, quia actus non fuerunt habitibus intensiores.

Quadam modo habuit has virtutes à seipso.

Non exnerunt in eo successu temporis.

13 Regatur.

Fides sem fidelium.

14 Habuit tamen fidei meritum.

ARTICVLVS III.

Virum in Christo fuerit Fides?

Responso est negatiua. Est certa & communis Theologorum in 3. d. 23. & sequentibus. Probat, quia fides non est in ijs qui habent clarā visionem, vt docet, D. Aug. lib. 14. de Trinit. cap. 2. Et constat ex Apostolo ad Hebręos 11. v. 1. vbi dicit: Fides est argumentum non apparentium. Atqui Christus ab initio habuit clarā visionem diuinitatis, & diuinorum mysteriorum, vt infra dicemus. Vide 2. 2. q. 5. art. 2. Dices Isaię 11. v. 5. dicitur de Christo: Et eris fides cunctoꝝ renum eius. Respondetur; fides accipitur ibi pro fidelitate, id est, constantia in seruandis promissis.

Ita D. Hieronymus & alij communiter. Vnde Septuaginta vertunt ἀληθεια veritas; & sensus est, perpetuò & inseparabiliter erit iustus & fidelis in promissis.

Aduerte tamen, etsi in Christo non fuerit fides, fuit tamen fidei meritum. Nam habuit promptitudinem ad credendum, si deesset euidentię, idque ex pia affectione voluntatis ad diuinam auctoritatem. Vnde in voluntate erat habitus supernaturalis, qui in nobis actum fidei imperat; quamuis in intellectu, nec actum, nec habitum fidei haberet: ille enim habitus, eiusque actus, nullam includit imperfectionem, quę statim beatitudinis repugnet. Vnde etiam in beatis manet, vt dictum est 2. 2. q. 5. a. 2.

ARTICVLVS IV.

Virum in Christo fuerit Spes?

Responsetur negatiue. Vide D. Thomam. Notandum tamen, etsi in Christo non fue-

rit spes; seu potius actus spei, vt extendit se ad gloriam animę sperandā; fuit tamen in illo spes, quatenus est expectatio glorię corporis, & exclusiōis omnis mali, quia hęc glorię in vitā istā mortali caruit, & multis malis animę & corporis afflictatus est. Ipse etiam habitus, qui est virtus Spei, erat in eo eiusdem rationis, cuius in nobis; quāuis non omnes actus habuerit quos in nobis. Nam hic habitus manet in beatis, & varios in illis actus habet; vt dictum est 2. 2. q. 18. a. 2. Vtrum autem sit idem habitus, quo speratur beatitudo animę & corporis, dictum est ibidem q. 17. a. 2. dub. 3. vbi ostensum est esse eundem, qui tamen constat partibus heterogeneis.

Qualit actus ex habitus virtutis

ARTICVLVS V. & VI.

Virum in Christo fuerint dona Spiritus sancti, præsertim Timoris?

Respondetur; in Christo fuisse omnia donā Spiritus sancti, etiam donum Timoris. Probat Isaię 11. v. 2. Requiesces super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientię & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientię & pietatis: & replebit eum Spiritus timoris Domini. Ratio est, quia dona dantur vt intellectus & voluntas facile moueantur, & obsequantur Spiritui sancto: atqui hęc potentię in Christo erant optimē dispositę ad Spiritus sancti motum suscipiendum: ergo &c.

Notandum Primò, Magnam esse contouersiam inter Doctores, vtrum, & quomodo dona distinguantur à virtutibus infusis; scilicet à quatuor Cardinalibus, & tribus Intellectualibus.

Notandum Secundò, Siue dona distinguantur à virtutibus, siue non; certum est in Christo omnia fuisse; vt patet testimonio Isaię, quod directè est de Christo: vnde in Christo fuit etiam donū Timoris Domini, quod olim perperam negauit Pet. Abailardus, vt refert Bernardus epist. 190. ad Innocentium 11. & Castro Verbo Christus haresi 6. qui etiam hanc haresim refutat.

Sed difficultas est, in quo consistat hoc donū Timoris? Respondeo Primò, Possè consistere in quadam reuerentiā, quę nascitur ex consideratiōe eminentissimę maiestatis diuinę, & vilitatis proprię naturę; quā fit, vt quis fugiat omnem sui comparationem cum Deo; & omnem illius celsitudinis curiosam scrutationē; seq. illi penitus submittat. Et hoc modo certum est in Anima Christi, & in omnibus beatis esse hunc Timorē; hunc enim Patres tribuunt Sanctis Angelis, vt Dionysius de cęlesti hierarchia cap. 13. & Chrysof. homilia 1. de Visione Isaię. Ita D. Thomas hoc loco accipit Donum Timoris; quanquā hic actus videatur pertinere ad virtutem Religionis; vt patet ex dictis de Religione l. 2. de Iustit. & Iure c. 36. Quòd tamen hęc reuerentia rectè dicatur Timor, patet ex modo loquendi

Haresi Petri Abailardi

Per Donū Timoris intelligi potest Reuerentia

Reuerentia hęc 16 & dicitur Timor.